

*iam de nativitate, baptismo, doctrina, miraculis &c. Christi fuerint testati?*  
 Resp. 1. in resurrectione præcipuum argumentum divinitatis Christi proponitur, Rom. 1, 4. jam vero fundamentum prædicationis Apostolicæ de Christo est divinitatis ejusdem assertio. Resurrectio est unum ex præcipuis Christi operibus, nomine igitur resurrectionis comprehenditur, quicquid Christus in diebus carnis fecit ac docuit, 2. Tim. 2, 8. 2. Resurrectionis nomine comprehenditur etiam mortis prædicationis, non enim resurgit, nisi qui cecidit, nec moritur, nisi qui prius vixit. Qui ergo testatur, Christum resurrexisse, eundem oportet mortem Christi & vitam ejusdem antea actam exponere. 3. Articulus resurrectionis est totius spei nostræ fulcrum & resurrectionis nostræ fundamentum, 1. Cor. 15. 4. Miracula ante Christi passionem edita omnibus erant conspicua, passio & mors ipsius itidem non indigebant testibus, sed resurrectio, quæ humanæ rationi videtur ἀποπ<sup>ω</sup>, cum primis indigebat testimonio Apostolorum.

\*(Syrus & Arabs itidem differentiam inter hæc nomina agnoscunt, dum ille Matth. 27, 56. habet [ *Jausi* ] h. l. autem [ *Jauseph* ] hic vero Matth. 27, 56. quemadmodum & Marc. 6, 3. [ *Jusa* ] h. l. [ *Jusof* ] Æthiops vero confundit, utrobique enim adhibet [ *Josof* ].

v. 23. Duo producuntur, non plures, vel quia hi duo præ reliquis pariter idonei ad munus Apostolicum fuerunt visi, vel ἵνα μὴ γένηται ἀτιμία μείζων πολλῶν ἀπειλεγόμενων, ut habet Theoph.

Lyra putat, hunc Josephum Barsabam esse eundem, qui Matth. 27. & Marc. 6. dicitur frater Domini. Origenes videtur negare, dum dicit, illius Josephi nullam alibi fieri mentionem, quod verisimilius: qui enim h. l. ponitur, Joseph dicitur; sed alter in Græcis codicibus dicitur Jose; hic a principio Christum secutus, sed fratres Domini non credebant in eum. \*(Syrus & Arabs itidem differentiam inter hæc nomina agnoscunt, ceu paulo superius monitum, quæ observatio huc referenda.)\* Utrumque e numero LXX. discipulorum fuisse, post Clem. Alexandrinum scribit Euseb. lib. 1. cap. 14.

Beda & alii existimant, hunc Barsabam eundem esse cum Barnaba, cujus postea fit mentio, Act. 4, 36. cap. 13, 1. cum levi deflexione distent Joseph & Josès, Barsabas & Barnabas. \*(Idem & Æthiops sibi persuasit, habet enim h. l. [ *Barnabas* ] at Syrus & Arabs legunt *Barsabas*.)\* Sed cum Barnabas fuerit Cyprius & Levites, Barsabas non item, hinc rectius diversa nomina statuuntur. Josephus porro iste, qui ab Ebræis *Barsabas*, i. e. *juramenti filius*, vel *quietis* h. e. *fidelis & pacificus*, idem a Romanis, quorum tunc in urbe magna multitudo, Latino vocabulo *Justus* dicebatur.

\*(Cate.